



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Februario menso

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

habere meruerint. Porrò sancta Aldegundis, vitæ suæ stadium consummans, cum magna claritate cælestis luminis, ad vitam migravit æternam. Sepultaque est in villa seu cūrte Sora: vbi vterque parens tumultatus esse dicitur, sed inde translata est Malbodium: quod multis miraculis illustrauit. Fuit autem Malbodium monasteriū, ab ipsa fundatū; sed hodie est oppidum Hannoniæ, & in eo celebre Canoniarum nobilium, siue Dominarum, aut (vt fundatio habet) ancillarum, collegium, quarum dominio ipsum oppidum subijcitur. De hac Vsuardus ait, tertio Calendas Februarij, *Malbodio monasterio, sancta Aldegundis virginis.* Ex quo constat memoriam eius in ecclesia esse peructustam. Secundaria festa habet, sexta Iunij, decima octaua Octobris, & decima-tertia Nouembris. vbi Laurentius Surius historiam ab Hucbaldo descriptam, collocauit.

FEBRUARIO mense, die prima.

1<sup>o</sup> De sancto Euberto, qui Insulis quiescit.

*Ex informatione Ludouici Pourrain, Canonici & electi Decani Insulensis, & Florentij ab Haer, ibidē Canonici.*

Siclinij, depositio sancti EUBERTI, Episcopi & confessoris: sed translatus, quiescit Insulis, in collegiata ecclesia sancti Petri. Cuius vita licet sit Deo nota, & hominibus ignota; creditur tamen esse meriti præclari. Eius memoria annuè ab Insulensibus repetitur octauo die post natalem. Eodem, inquit, die, repositio reliquiarum sancti Euberti, episcopi & confessoris, à venerabili patre Waltero Tornacensi episcopo in prasenti ecclesia, & octaua depositionis eiusdem. De repositione autem hac, per

Vualterum facta, exstat attestatio in serinio sacri corporis, quæ ante annos centum, cum illud reparandum esset, excopiata fuit. Est autem huiusmodi; Anno ab incarnatione Domini, millesimo ducentesimo vigesimo nono, apertum fuit istud scrinium à venerabili patre Vualtero, Tornacensi episcopo, in presentia Vuilhelmi abbatis, &c. In quo reperta fuerunt reliquia totius ferè corporis, sicut ex traditione antecessorum declarabatur, gloriosi Euberti episcopi & confessoris. Et quemadmodum nos Insulensis ecclesiæ tunc Canonici eundem à prædecessoribus nostris pro sancto venerandum accepimus, sic posteris nostris, pia certificatione perpetuo relinquimus honorandum. Circuferuntur porrò reliquiæ singulis annis, ipso die purificationis beatæ Mariæ, & in altari primario per octauam relinquuntur. Officium habet commune de Confessore Pontifice, tam Insulis quàm Siclinij, vbi quotidianam retinet commemorationem: etsi inde Insulas sit translatus, aut bellorum tempore, aut, vt alij putant, in ecclesiæ Dedicatione. Cum autem repeteretur, Insulenses maluerunt clero Sicliniensi dare celebres decimas pagi sanctæ Crucis, quàm sancto corpore carere. Hoc ipsum autem corpus cum alijs viginti-quatuor sanctorum pignoribus, interfuisse dedicationi ecclesiæ Hasioniensis, Meierus ad annum septuagesimum supra millesimum in Flandriæ commentarijs annotauit.

Ceterum historiam intercidisse opinor in Nordmannorum deuastatione: ob quam etiam corpus eius auectum fuisse Boloniam, aut in *Sithia*, alicubi legisse me memini. Sunt autem Insulæ in literis foundationis ecclesiæ, *Illa*, Gallicè *Lille*, & *Lisse*, Teutonice *Rusel*, diocesis Tornacensis, in Gallica Flandria, ciuitas florentissima in negotiatione, & in religione, sine qua reliqua omnia nihil sunt.

Quam

Quam primus, amore natalis loci, mœnibus & vallo cinxit Balduinus Comes, agnomine Insulanus. Qui etiam extra urbem monasterium Canonorum S. Petri ædificauit: in quo primitus erat numerus Canonorum in cõmuni viuētium incertus, iuxta qualitatem bonorū. Sed postquam passim inter Canonicos MEVM & TVVM præualuit, determinatus est Apostolica auctoritate numerus quadragenarius. Habueruntque multo tempore guardianum regem Franciæ: sed Maximilianus Augustus lite effecit, vt deinceps id officij Comes Flandriæ sibi reseruet.

2<sup>o</sup>. De S. Sigeberto confes. rege Austrasia.

*Ex Sigeberto Gemblacensi, quem habui ex Malmundario.*

**M**ettis ciuitate, depositio sancti SIGEBERTI regis, confessoris Christi. Qui obiit anno ætatis fere trigesimo primo: regni Austrasiæ vigesimo cõtano: Christi sexcentesimo sexagesimo secundo. Et sepeliri elegit Mettis (quæ vrbs regni sui sedes erat) in basilica quam ad gloriam sancti Martini extruxerat. Habuit autem pueritiæ suæ tutores, Cunibertum episcopum & Adalgisum ducem: regni verò curam, & prouidentiam omnium Dagobertus pater imposuit Pipino, principi inferioris Austrasiæ: cui mortuo Grimoaldus filius successit. Deinde sanctus Sigebertus iam adultus, vt iustitiâ firmaretur thronus eius, duodecim monasteria in diuersis regni sui partibus ædificauit, eisque ex suis redditibus, regia liberalitate, necessaria suppeditauit. Inter quæ eminet *Stabulaus* & Malmundarium intra syluam

*Sigebert. in  
chron. ob-  
isse ait  
656.*

Arduennam: quæ idem rex, à se, cooperante sibi Grimoaldo, constructa, sancto Remaclo Tun-  
grensi episcopo, tradidit, qui, abiectâ episcopali  
sarcinâ, se ibi mancipauit arctiori vitæ. Scripsit  
autem Sigebertus Gemblacensis libellum de vita  
& genealogia huius sancti Sigeberti regis, qui  
tertius fuit eius nominis. Deinde alterum scripsit  
libellum de miraculis, quæ ipsius tempore Metis  
contigerunt ad sepulcrum gloriosi confessoris.  
Interferit autem vnum miraculum prioris tem-  
poris, de quodam Hugone, qui, cum in litanijs &  
diuinæ seruitutis officijs, memoria nominis san-  
cti Sigeberti celebraretur, sancti huius nomen de  
libro litaniarum, in quo quotidie nominabatur,  
delere præsumsit. Vnde postmodum dictus Hu-  
go, ad sancti viri tumulum incensum oblaturus,  
tanta inualetudine dirigit, vt pedem mouere  
non posset. Neque prius restitutus est, quamuis  
ipse & reliqui fratres pro reatu ante sanctum Dei  
pœnitentiam agerent, nisi postquam sanctum no-  
men in deleto loco propria manu rescripsit, quod  
pridem incautè destruxerat. Translatio, seu ele-  
uatio, notatur pridie Calendas Iulij.

Et hæc de sancto rege inter Belgica referenda  
fuerunt, eo quod celeberrima illa monasteria  
Stabuletum & Malmündarium, ipso auctore con-  
structa, intra Belgij nostri limites consistant:  
quodque magna ditionum nostratium portio ad  
regnum eius Lotharingiæ, siue Austrasiæ, perti-  
nerit. Vnde passim à mediæ ætatis scriptoribus  
Leodium, Louanium, Antuerpia, aliæque no-  
strates vrbes, Lotharingis annumerantur.

Die

## Die secunda Februarij.

1<sup>o</sup>. De beato Adalbardo Duce Duacensi.

Ex Hucbaldo, & catalogo sanctorum Hannoniæ.

**I**N territorio Petragorico, passio sancti ADAL-  
BALDI, ducis Duacensis, qui conjugem habuit san-  
ctam Rictrudem. Hic cum ex pago Austrebatensi, ubi  
multis locupletabatur diuitijs, in Gualconiam iter arripe-  
ret, à malignis hominibus, & ut fertur, ab ijs quibus san-  
ctum displicuerat matrimonium, est interemptus: sed feli-  
cem eius animam viuere testantur, inquit Hucbaldus, si-  
gna, quæ ob ipsius declaranda merita ad eius mortua fre-  
quenter ostenduntur ossa. Additur in catalogo sanctorum  
Hannoniæ, apud Petragoricum caput haberi, licet corpus  
ad sanctum Amandum in terra sit: festumque eius solen-  
niter in Aquitania fieri. Quod inde certius cognosci velim,  
Recentiores passim notant quarto Nonas Februarij: è  
quibus obitum eius notauit ad hunc diem.

Hucbaldus

c. 8. vite

Rictrudis.

Frater eius fuit Arkenbaldus, Tertius frater Sigisfri-  
dus nominatur 4. Iulij. Addit.

2<sup>o</sup>. Reclusio Columbani, Hiberni abbatis.

Ex Chronico Gandensis monasterij.

**Q**uarto Nonas Februarij, anno nongentesimo quin-  
quagesimo septimo, reclusio Columbani, abbatis  
Hiberniensis, viri sanctissimi, in cœmeterio Gandensis cœ-  
nobij: ubi post biennium obiit, & in crypta B. Mariæ ante  
altare beati Andreae sub arcu lapideo requiescit. Obitus in  
libris Rubæ vallis notatur decimo quinto Calēdas Martij.

## Tertia die Februarij.

1<sup>o</sup>. De S. Hadelino confes. Visetū trāsflato.

Ex historia manuscripta in Ordinario Leodiensi,  
Chronico Leodiensium, & literis D. Ioannis Gerar-  
dini, Canonici Viserensis.

Cellæ,

Februa. 3.

NATALES

**C**ellæ, natalis sancti HADELINI confessoris. Qui Aquitanie territorio ortus, in tenera ætate semper consortio senum interesse cupiebat. Inde, relinquens terram & cognationem suam, venit Stabuletum, vbi magisterio vsus est sancti Remacii. Adeoque fuit sanctitate & miraculorum gloria celebris, vt ob ea ipsi & fratribus, in valle ad Letiam fluuium habitantibus, multa prædia sint collata, multique reditus: Verum anno millesimo trecentesimo trigesimo septimo Canonici sancti Hadelini, quia à domino Cellensi multum opprimebantur, & in ecclesiæ libertate defraudabantur, clam cum feretro & sancto corpore, Leodium aufugerunt. Erat enim Cellensis ecclesia vna ex abbatijs S. Lamberti. Quare Adulphus de Marca, habito Capitulari consilio, corpus sanctum cum Canonicis misit Visetum, quod tunc temporis ab episcopo, & Leodiensi ecclesia, vallabatur nouis muris & turribus. Est autem ad ripam Mosæ, inter Leodium & Traiectum. Habetque clerus secularem abbatem, Canonicum Leodiensem, cum ex prima fundatione verisimilius putent sese Benedictinos fuisse, cum Cellæ residerent ad Lætiam, sesquimilliarium à Dionanto, versus Arduennam. Videtur enim locus ille ab humili monasterio Cellæ nomen accepisse. Leodiensis ecclesia vocat virum sanctum in Collecta diei, doctorem fidei. Cui etiam imago respondet. Pingitur enim Viseti in veste doctorali longa, coloris nigri, gestans in manu pedum, cui supereminet crux, eique cruci columba insidet.

Cæterum Cellenses, apud quos in diui Hadelini ecclesia Præpositura remansit, pingunt eum

*Ex chroni-  
cis Leod.  
cap. 78.*

ut eremitam, quia eremiticam vitam apud eos egit, eo videlicet in loco, ubi in hunc usque diem sepultura eius cernitur, super exstructâ ædiculâ, quam in memoriam eremiticæ eius vitæ anachoreta inhabitat.

Exstat de hoc viro, adhuc Cellæ quiescente, illustre Nodgeri Leodiensis episcopi testimoniū.

Scribit enim Remaclum ei futuræ conuersationis & quietis locum, fontemque humanis vsibus oportunitum indicasse. Quæ res (subdit) hodie omnibus minimè obscura est, quando in eodem loco corpore quiescit, & spiritu præsens, innumera illic quotidie credentibus beneficia præstare non cessat.

*Nodgerus  
ad 3. Sept.*

2<sup>o</sup>. *De sacris virginibus, Berleude, Nonâ,  
& Celsa. Ex officio Merbecensis ecclesie.*

**M**erbecca, depositio sanctæ BERLENDIS virginis. Hæc temporibus Dagoberti parentes habuit, Odelardum & Nonam, sancti Amandi sororem. A patre viduo exhæredata, patienter id tulit, & Morfellæ sacri velaminis habitum suscepit. Ex eò monasterio pauperrimo propter Hunnorum vastationem, cum licentia Merbecam redijt, patre mortuo, quem in ecclesia sancti Petri, quam ipse ædificauerat, iuxta uxorem sepeliuit, ipsaque in eadem ecclesia Domini, seruitio mancipata, permansit: ibidemque post mortem sepulta est iuxta tumulum parentum, in vase exciso ex quercu: trigesimo autem anno depositionis eleuata est per Authertum, episcopum Cameracensem. Cum eâ quiescunt eleuatæ Nonâ & Celsa, sacre virginis. De quibus in Martyrologio Merbecensis ecclesie legitur *Sexto Nonâ*



Februa. 3.

NATALÉS

nas Maij, Merbecca, eleuatio sancta Berlendis virginis;  
& quinto Idus Septembris, Merbecca, translacio sancta-  
rum virginum Berlendis, Celsa, atque Nona.

Est autem Merbecca, aut, vt nunc loquuntur, Merbeca,  
iuxta Niniuen, Flandriæ ciuitatem: sed in Brabantia, & in  
dicecesi Mechliniensi, vbi prædictæ tres virginis quiescunt  
in parochiali & septem sacellanorum collegiata ecclesia.

3<sup>o</sup>. De S. Anshario, Apost. Aquilonariū.

Ex Breviarijs, Helmoldo & Crantio, quia plenam  
historiam non vidi.

**B**reme, natalis sancti ANSCHARII, con-  
fessoris, primi episcopi eius loci & Hambur-  
gi vnitorum. Hic præclarus omnium Aquilona-  
rium regionum Apostolus, sedit in episcopatu an-  
nis triginta quatuor Primis annis septem, Ham-  
burgi: deinde post barbaricam Hamburgi incur-  
sionem, annis nouem in Ramsola: reliquis verò  
annis Bremæ, vbi in matrice ecclesia sancti Petri  
sepultus est: in quain sanctum Willehadum transf-  
ulerat. In primo adolescentiæ flore regulam san-  
cti Benedicti professus est in Frætica Corbeia. In-  
de cum in nouam Saxoniam Corbeiam comigra-  
set, Haraldus rex Danorum à Ludouico Augusto  
auxilium petijt. Quod ei Imperator promisit, si  
veller fidem profiteri Christianam. Fidem igitur  
rex recepit, quem Imperator de sacro fonte leua-  
uit, & in filium adoptauit. Dum autem vterque  
quæreret prædicatorem in Aquilonarem regio-  
nem mittendum, vltro sese Ansharius obtulit, ni-  
hil territus barbaricæ gentis crudelitate. Hac oc-  
casione paulo post, cum Aquilonis regna diuini  
verbi illustrasset prædicatione, magno episcopo-  
rum & principum habito consensu, consecratus  
est archiepiscopus Danorum, Suedorum, Scla-  
uorum,

riorum, & omnium Aquilonarium regionum, per manus Drogonis præfulis Metensis, auctoritate Gregorij quarti, sede in ciuitate Hamburgensi constituta. Exinde sanctus pater creditum sibi ingentes legationis officium strenuè obiuit: captiuos redimendo, tribulatos refouendo, domesticos erudiendo, barbaris euangelizando. Foris Apostolus, intus monachus, nunquam visus est otiosus. Frisios quoque adiens, castigauit eos pro labore Dominicæ diei: pertinacius verò agentes, caelesti igne mulctauit. Quia verò diœcesis fructus necessitatibus archiepiscopi, & clericorum eius, non sufficiebant, Ludouicus Imperator in supplementum & victum, adiecit eis monasterium *Thurole*, situm in Occidentali Gallia, quæ nunc Flandria dicitur. Ad quod monasterium, persecutione sæuiente, nonnunquam commeans, & fratres spirituali consolatione de dono Dei implebat, & nihilominus temporale subsidium inde reportabat. Quo eodem in loco puerum inuenit Rembertum, quem in dicto monasterio institui curauit: institutum, vitæ reliquæ indiuiduum comitem habuit, & in pontificali ministerio successorem. A morte autem Imperatoris, cum filij de ditionibus cruentè digladiabantur, Dani, per mare & Albiam euagantes, Hamburgum vastauerunt. Inclyta ciuitas tota aut incendio aut præda periit. Ibi ecclesia, ibi claustrum, ibi bibliotheca, summo per sanctum Anscharium studio collecta, consumpta est. Sanctus autem episcopus, cum reliquijs Sanctorum, vix nudus Ramsolam peruēnit. Suo quoque monasterio, quod illius solatio Ludouicus contulerat in Flandria, est destitutus, eo quod cum reliqua Gallia, partitione fratrum, in

in ius Caroli cederet, quem postea dixere Cal-  
tium. Hinc recedentibus ministris, ob defectum  
necessariorum, & ob infirmum in Hamburgo  
contra barbaros præsidium, vacanti Bremensi ec-  
clesiæ, Ludouicus rex sanctum Anscharium, se-  
cundum Canones præfecit. Ægrè tamen eo ad-  
duci potuit, nè sui gregis desertor, & alieni ha-  
beretur inuasor. Sed paulo post, regis sollicitatio-  
ne, Nicolaus pontifex Bremensem episcopatum  
Hamburgensi metropoli copulauit, ex duabus ec-  
clesijs attenuatis vnã efficiens, vt titulus perman-  
neret Hamburgensis, & interiret Bremensis. V-  
troque autem in loco sancti Anscharij natalis  
summa ueneratione percolitur, aut (quod prop-  
ter fidei oppressionem nunc dicere cogimur) coli  
solet. Helmoldus presbyter, in Chronicis Slauo-  
rum, noscit magistrum Adam gesta Hamburgens-  
is Ecclesiæ Pontificum disertissimo stylo con-  
scripsisse.

Cap. 14.

Eodem die Cameracensis ecclesia officium canit de  
Vualdetrude continente. Sed primarium eius festum est  
die Aprilis.

### Quarta die Februarij.

#### 1<sup>o</sup>. De S. Lietphardo episcopo & mart.

*Ex historia manu-scripta, unde lectiones sumuntur in  
Vsu Cameracensi, & informatione Cameracensium.*

**I**N Hunonis curia, natalis sancti LIETPHARDI  
Anglorum archiepiscopi, & martyris. Fuit  
hic Canturbie in Anglia episcopus, germanus  
beati Onastantij Londriarum præsulis, qui tem-  
pore Dagoberti regis, cum Carduele rege, ob san-  
cti Petri beneficia, elegit Romam adire. Vnde,  
exsoluto

exsoluto peregrinationis suæ voto, rediens, in aridæ Gamantiæ nemore est trucidatus, & à ruricolis Trescalti sepultus: sed accedentibus miraculis, digniori loco collocatus. Cùm autem apud turicolas memoria eius negligeretur, Fulbertus episcopus Cameracensis, sacra pignora ad suam ciuitatem transferre statuit, sed non potuit. Diuina enim reuelatio habebat, eum transferendum esse ad ecclesiam beati Petri, quæ est in Honnecourt. Vbi Deo seruebant sanctimoniales ad nuptias Agni vocatæ, & eis subordinati Canonici, qui exsequebantur, quod fœmineo sexui ecclesiasticus ordo non permittit. Postmodum tamen illis sponte cedentibus, vsque in hodiernum diem est congregatio Benedictinorum. Qui corpora sancti Lietphardi & sororum eius Valeriæ, & Pollenæ, ad urbem sancti Quintini transtulerunt, vt essent à bellorum incommodis securiora, vbi tamen in expugnatione vrbis perierunt.

2º. *De S. Vulgiso, epis. & abbate Lobiensi.*

*Ex monumentis Lobij.*

**C**Oenobio Laubiensi, depositio S. VVLGISI, episcopi & abbatis Vtrumque enim titulum habuit cum beato Ermino, cuius fuit in vtrâque dignitate cooperato. Natalis eius est duplex maior Lobijs, & Binchij: nam Binchij in octo capsis quiescunt octo sancti Lobienses. Vitam per Nordmannos nobis intercidisse arbitror,

D

Quinta

## Quinta Februarij.

1<sup>o</sup>. De sancto Bertulpho confessore.

*Ex historia, cuius stylum Folcardus abbas innovari curavit, circa annum millesimum septuagesimum.*

*Comes Fal-  
cobergensis.*

**R**enticæ, natalis S. BERTULPHI, confessoris. Is patria Alemannus, temporibus Sigeberti regis, relictis parentibus gentilibus, venit Renticam, ubi consecuto baptismatis sacramento Spiritus sancti templum est factus, & clericatus signaculo, ecclesiæ arctius coniunctus. Erant ibi tunc temporis Wambertus, pius Comes, & coniunx eius Homburga; qui eo loci ex proprijs facultatibus, in argumentum religionis, cœnobium construxerant, in honorem martyris Dionysij: & tres ecclesias, quæ dedicatæ sunt, principi Apostolorum, beatissimo Martino, & sancto Vedasto. In horum famulitium libenter intrauit Bertulphus: ipsique eius sagacitate & vitæ probitate cognita, eum vniuersæ domui suæ præposuerunt. Memorabile verò, est, quod tam fidelis famulus benignitate in pauperes, opes sibi à domino creditas, non solum in cælo, sed etiam domi forisque, multiplicauerit. Cum eodem Romam iuerunt ad limina Apostolorum. Denique eum, cum non vt famulum, sed vt filium carissimum, amplecterentur, Renticæ prædij sui, vnâ cum ecclesijs in illo constructis, donatione solenniter facta, heredem fecerunt: ipsamque donationem vir Dei non sibi, sed Deo, & Dei pauperibus, suscepit: & inibi cum multis fratribus Deo seruiens, præsentem vitam consummauit. Sancti autem sepulcrum, sicut miraculorum gloria, sic & re-  
rum

rum creuit opulencia. Sed cum sæuissimi piratæ  
 maritima Gallia loca gladio, igne, & rapinis, in-  
 festarent, Erkengarius Bononiensium Comes, cor-  
 pus sanctum per Ecclesiastici ordinis conuentum,  
 de Rentica Bononiam translulit, munitam ciui-  
 tatem, mari Morinorum propinquam: in qua sa-  
 cra pignora seruabantur, aut, vt verius dicam,  
 potius ipsam seruabant. Urbem enim ab omni in-  
 festatione liberam reddiderunt. Successu vero *259. Mejer.*  
 temporum Brito quidam, nomine Electus, cor-  
 pus sanctum furtim abstulit, vt lucri causa Atel-  
 stano Anglorum regi venderet, sed in villa *Oride-*  
*ghem*, mari contigua, ipsum interceptit Arnulphus  
 magnus, Flandriae Marchio, cuius ditioni Bono-  
 nia accesserat, & geminata lætitia inuenit apud  
 eundem corpus sancti Guduali, ex Monasterio  
 sublaturum. Quæ vt melius & dignius custodi-  
 rentur, Harlebecam transferri iussit translaturus  
 mox Blandinium. Interim impetrarunt Harlebe-  
 censes partem aliquam sanctarum reliquiarum  
 diui Bertulphi pro sua ecclesia. Quæ ibidem ho-  
 norificè conseruatae sunt, vsque ad ecclesiae hosti-  
 lem per Curtracenses conflagrationem. Inde au-  
 tem diuinitus sunt extractæ, & reliquis ipsius mē-  
 bris in Blandinio per Rosalam, Berengarii regis  
 filiam, restitutæ. De translatione legitur die ter-  
 tia Decēbris In monasterio Blandiniensi, Ganda-  
 ni castri, aduentus corporum sanctorum Guduali  
 & Bertulphi. Et decimo tertio Calendas Iunij. In  
 Blandinio, trāslatio corporum sanctorum Guduali  
 Bertulphi, cum reliquijs sanctæ virginis Amel-  
 bergæ. Trāslatus est autem ad memoriam fidelium  
 defunctorum, à fidelibus in medio ecclesiae erectā,  
 vt animæ aduentu corporis sancti lætificarentur.

Februa. 5.

N A T A L E S

Ex admo-  
nitione D.  
Petri mo-  
nis, Archi-  
presbyteri  
Gandensis:  
nunc Episc.  
Iprensis.

In historia, Folcardo abbati dedicata, quæ quinta Fe-  
bruarij integra extat, nusquam abbas dicitur, nec talis de-  
pingitur; sed in habitu simplicis monachi, dextra manu in-  
nitens baculo itinerario, quia de terra & cognatione sua in-  
fideli, tanquam notus Abraham, in terram non suam pro-  
pter Christum exiuerit. Solet verò, vt constanti fama Gan-  
daui traditur, pulsum velut manibus edere circa feretrum  
suum, graui aliqua imminente diuina ultione, & sic tan-  
quam admonere fideles, vt precibus, & fructibus poeniten-  
tiæ iram Dei accensam placarent.

Est autem Rentica ( quæ nunc vnicam habet,  
eâmq; sancti Bertulphi, ecclesiam ) siue Rentia-  
cum, in Artesia, Bouloniensis diœcesis, olim etiam  
eiusdem Comitatus.

2<sup>o</sup>. *De sancta Aleide, abbatissa Vilecensi.*

*Ex Vita per Bertradam, sororem B. Wolfhelmi, &  
responso D. Petri Rabij, Pastoris ad sanctum Wolf-  
gangum, Bonna.*

**I**N Vilika, depositio sanctæ ALIIDI S vir-  
ginis & abbatissæ, miræ sanctitatis. Quæ pa-  
trem habuit Megengorem, illustrem Comitem:  
matrem, Gerbirgam, non minus generis nobi-  
litate, & virtutum studio, insignem. Quibus vni-  
ca fuit mascula proles, & quatuor filia: quarum  
duæ iunctæ sunt viris præpotentibus; reliquæ  
verò duæ apud Coloniam Agrippinam Christi  
feruatio sunt mancipatæ: vna, in monasterio bea-  
tissimæ matris Dei. Altera, de qua nobis est ser-  
mo, in cœnobio sanctarum Virginum, sub regu-  
lari institutione sancti Hieronymi. Parentes au-  
tem cùm in Vilika monasterij puellarum structu-  
ram consummassent, quam Othoni tertio tradi-  
derunt, vt perpetuò regia tutela defenderetur,  
ad eius regimen Adelheidem filiam suam è Co-  
lonia

lonia euocarunt, quæ initio liberio-rem regulam institutionem seruauit: postea autem mortua matre, regulam sancti Benedicti amplexa est, & iuxta illam se sui conuentus matrem reipsa declarauit, primùm quærens regnum Dei, deinde ad exteriora se conferens. Ex ipsis etiam monasterij possessionibus sortem vnã Domino pro pauperibus delegauit, atque in acerba totius penè orbis fame homines egentes vndique ad eam tamquam ad matrem confluebant. Interim soror eius Bertrada, monasterio Coloniae præfecta, in Domino obdormit, voluitque beatus Heribertus archiepiscopus Adelheidem defunctæ sorori in regimine succedere. Vbi innotuit quid prius illa operata esset in obscuro Iuliacensium tugurio, archiepiscopo testante eam cunctis sui ordinis sapientia, religione, & sanctitate esse incomparabilem. Etsi autem Coloniensi monasterio præfecta erat, attamen vtrique & Coloniensi & Vilecensi inuigilabat strenuè. Nec defuit illi miraculorum gloria in vocibus clarificandis, & morbis curandis. Post obitum verò, scribit Bertrada, nullo non genere miraculorū, demta mortuorū excitatione, eam ornatam esse à præpotente Deo. Appropinquante autè obitus die, in festo S. Blasij, gutturis dolore correpta est, & ex ea infirmitate Corporis & Sanguinis Dominici Sacramento munita. Sicque paradisi gaudia, ad quæ viuens suspirarat, felicissimè petijt. Vilecenses autem archiepiscopum rogarunt licentiam corpus sanctum asportandi, eumque tandem precibus vicerunt. Postquam autem sacrum corpus in naui repositum fuit, necdum dispositis remis contra fluminis impetum naui velociter sursum



tendebat, vt etiam à Colonienſibus diuina voluntas agnoſceretur.

Primarium eius feſtum eſt in die ſanctæ Agathæ, quod tamen annuè, ad placitum Canoniffarum & Canonicorum, ter aut quater repetitur. In primario etiam feſto ex virginis fundatione diſtribuitur ſpinda, vt loquuntur, duodecim maldrariorum ſiliginis & duo vaſa halecum.

Inter alia miracula cùm cellerariam vinum prominentem euocari curaffet, & illa in obedientiâ moram neſciens, os cuppæ obfirmare negligeret, meritis beatæ matris, ne guttæ vnus damnum inuentum eſt.

*Libro nono  
hiſtoria ca-  
piſte nono.*

Ex quo facile intelligitur cur cum vaſculo vini pingatur. Sciant etiam rudiores non aberrare eccleſiam Ultraictenſem, quæ hoc die notat deſiſtionem ſanctæ Aleidis in Vilika. Quamuis enim Colonia obierit, deſiſtio tamen, hoc eſt, deſiſtionis dies, celebratur in Vilika. Quo ſenſu apud Gregorium Turonenſem legitur: Erat eo die paſſio beatorum Martyrum.

## Die ſexta Februarij.

### 1<sup>o</sup>. De ſancto Vedasto epiſcopo Atrebatēſi.

*Ex Alcuino, & monumentis Atrebatum, quæ exhibuit D. Iacobus de Marquais, Præpoſitus tum Vedastinus: nunc reuerendus Tornaci ad ſanctum Martinum abbas.*

**A** Pud Atrebatam ciuitatem, deſiſtio beati VEDASTI: qui pontifex à ſancto Remigio, Rhemorum archiepiſcopo conſecratus, & ab eodem huic ciuitati, gratia ſaluatoris ordinante, deſtinatus, per quadraginta annos eccleſiam Dei, verbo prædicationis & exemplo vite, ſtrenue gubernauit. Ad cuius merita declaranda columna miri ſplendoris è celo ſuper domum illius agrotan-

*eis irradians, obitum eius præsignauit. Haftenus verba monasterij. Breuius autem diœcesana ecclesia A-trebara ciuitate, depositio sancti Vedasti, episcopi & confessoris. Hic dum plurimorum miraculorum signis rutilaret, diuersis diuersas impartiens sanitates, gentem Francorum barbaricam, ad fidem paulatim vocauit catholicam.*

Vitam eius scripsit Alcuinus, Bedæ discipulus, & Caroli magni præceptor, quæ eius verbis re-tentis pro operis instituto Natalibus hisce est in-ferenda. Contigit Clodouicum regem necdum voluntate renatum, nimio terrore turbatum, dum inimicos Alemannos vidit fortiter pugnare, & suos penè ad internecionem vinci, oculos cum hac voce ad cælum leuare, O Deus vnica potesta-tis, & summæ maiestatis, quem regina Clotildis colit, confitetur, & adorat; concede mihi hodie de inimicis meis victoriam. Nam ex hac die tu mihi solus eris Deus, & veneranda potestas. Tu mihi triumphum præsta: & ego tibi seruitium promitto sempiternum. Mox terga verterunt A-lemanni: victoria cessit regi & Francis. Hæc verò victoria regi populoque causa fuit salutis: & nè lucerna Vedastus sub modio lateret absconditus. Rebus enim in pace compositis, & Alemannis sue ditioni subiectis, fidelis sponsor venit ad Tullum oppidum, vbi sanctum agnouit Vedastum: quem ad Remigium, clarissimum sacerdotem, ad Rhe-morum properans ciuitatem, sibi socium assum-sit, quatenus per singulos itineris sui gressus ca-tholicæ fidei firmis initiaretur fundamentis, vt paratus fide & virtutum scientia, à tanto Pontifi-ce spirituali ablueretur lauacro, & donis cælesti-bus confirmaretur. Ambo propemodum pari

Luca 18.

pietate patres. Hi sunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia, à quibus rex in via Dei eruditus, cum fortissima gente Francorum, ctedidit Christo & facta est gens sancta, populus acquisitionis. Evangelicæ authoritatis narrat historia, Dominum Iesum ad confirmanda fide suæ maiestatis corda populi, cæco lamen reddidisse: ita & sanctus Vedastus per illuminationem cæci, fidem, quam verbo prædicauit, in corde regis miraculo confirmauit. Baptizatus itaque rex, cum optimatibus suis, & populo, qui salutaris lauacri gaudebant fuscipere sacramentum, ad sceptræ regni gubernanda reuersus est, sanctumque Vedastum beato Pontifici commendauit. Qui ibi moratus, vitæ meritis, & virtutum claruit exemplis. Omnibus amabilis, & venerabilis, morum dignitate religiosus, charitate præcipuus, fraterna dilectione iucundus, humili pietate eximius, orationum vigilantia assiduus, sermone modestus, corpore castus, ieiunio sobrius, miserorum consolator: aliorum salutem suam reputans lucrum. Cumque viri Dei celeberrima vulgaretur fama, & charitatis in eo munificentia, & religio vitæ, & verbi Dei instantia longè latèque ab omnibus celebraretur, visum est beatissimo Remigio tam præclarâ Christi lucernam episcopum ordinare, & ad prædicandum verbum vitæ Atrebatensi eum vrbi dirigere. Qui Pontificatus gradu, & prædicationis officio suscepto concitus ad præfatam urbem perrexit, & in auspiciis futuræ salutis in porta cæcū & claudum obuiam habuit, quorum sanatione Deus ciuibus eius introitum patefecit. Agnouit autem antiquis tēporibus sacræ in illis locis fidei floruisse religionem, sed propter peccata habitatorum, oculto

culto Dei iudicio, sed iustissimo, traditam esse cum cæteris Galliæ & Germaniæ ciuitatibus, pagano & perfido Hunnorum regi Attilæ urbem illam deprædandam. Qui nec sacerdotibus Dei honorem, nec ecclesijs Christi reuerentiam, impendere sciebat, sed omnia ferro vastauit & igne. Inuenit verò antiquas ruinas ecclesiæ, & ecce subito ex ruinosis speluncis visus profiliuit. Cui vir Dei præcepit vt in deserta secederet loca. Qui mox, in obtemperando quodam modo ratione vsus humana, fugit, nec vnquam postea illis visus est in partibus. Populum itaque sedula intentione ad agnitionem veri luminis perduxit, ecclesias ad culmen summi honoris erexit, presbyteros & diaconos sibi in adiutorium per diuersa disposuit loca. Fuit pauperibus largus, diuitibus affabilis, quatenus omnes vel largitate munerum, vel iucunditate verborum, in viam deduceret veritatis. Nobilis quidam Francus, Oginus nomine, regem Clotarium vocauerat ad prandium. Rogatus quoque est ad conuiuium Vedastus, qui domum intrans, more sibi solito, dextera extensa, omnia sanctæ crucis vexillo signauit. Quædam verò vascula, ceruisiâ plena, gentili errore dæmoniâ incantationibus infecta, mox ob potentiam sanctæ crucis crepuerunt. Rex præfatus Dei sacerdos Ecclesiam Christi annis circiter quadraginta, sub magna Euangelicæ prædicationis deuotione, ac per id temporis multitudinem populi ad fidei conuertit sanctitatem. Ardebat in pectoribus singulorum cælestis patriæ amor, floruit in moribus castissimæ vitæ honestas: populus statutis diebus ad ecclesiam concurrebat, elemosynæ vberrimè distribuebantur: verbum

Dei quotidie per singula loca populis prædicabatur: hymnidicas laudes Deo, horis canonicis chorus cantabat in ecclesijs. Postquam verò pius prædicator, & sanctus sacerdos, maturus meritis & annis, præmia laboris accipere debuit, in eadem Atrebatâ ciuitate febre correptus est, vt vbi plurimum in Dei sudauit seruitio, inde ad palmam beatitudinis perueniret. Et visa est nocte columna lucis à culmine domus, in qua iacebat, vsque ad summum cæli fastigium. Quod cum viro Dei diceretur, intellexit obitum suum demonstrari. Vocauit igitur ad se filios, vt eorum precibus suam fidei conditori animam commendaret. Et post dulces paternæ pietatis admonitiones, & extrema charitatis verba, Corporis & Sanguinis Christi confirmatus viatico, inter manus lachrymantium spiritum emisit. Conuenerunt itaque ad exsequias clerus & populus copiosus, sed inter lachrymantium voces, & psallentium (vt fertur) cætus in cælo, feretrum digno honoris officio paratum, accedentes mouere non valebant. Sciscitabantur à Scopilione archipresbytero, viro religioso, si aliquid de sua eum testari sepultura memoraret: Quibus respondit sæpius eum dixisse quia omnis ciuitas locus debet esse viuorum, non mortuorum: ipsumque sepulturæ suæ locum sibi paupere sumptu ædificasse prope litus Crientionis flauoli. Dum autem omnes quererentur indignum tanti viri corpus in loco humili sepeliri, Scopilio doctus virtute precum, cunctos ad precem hortans, incumbens super corpus sacratissimum in hanc vocem erupit, Permitte te perferri ad locum qui tibi filiorum cura præparatus existit. Et his dictis accipientes capulum, nullum

nullum onus sentientes, portauerunt eum in ecclesiam Dei genitricis. In qua iacuit quousque Domino reuelante, à viris sanctis, Autberto & Audomaro, episcopis, felici mutatione translatus est ad locum vbi nunc fulget eius memoria. Est autem locus iste non longè ab eadem vrbe, pro nobilitate sui Nobiliacus primò appellatus, sed procedente tempore, largitione fidelium, agmine monachorum, & aliorum Deo deuotorum grege, tam insignis effectus, vt vrbis nomine vocetur. Vbi incessanter fiunt miraculorum signa, quæ magis cernentium ore narrantur, quàm dictantis stylo scribantur. Et hæcenus ex Alcuino.

Non est autem Vedastus primus Atrebatum episcopus: nam antea Diogenem vel Giogenem, eorum episcopum martyrij coronam Hunnorum, ferocia percepisse proditum est. In ecclesia autem Deiparæ virginis, quam auxiliantibus regibus construxit, cum beato Remigio clericos, quos posteritas Canonicos vocat, instituit. De quibus in testamento suo Remigius. *Ecclesiæ Atrebatensi, cui Deo auctore Vedastum, fratrem meum charissimum, episcopum consecraui, ex dono iam dicti principis, id est, Ludouici, quem de sacro fonte suscepi, villas duas in stipendijs clericorum delegaui, ortos videlicet & Sabu-*

*Citat chro-  
nographus  
Atrebatum  
ad Gerar-  
dum pri-  
mum. lib. 1.  
cap. 9.*

*cerum.* Ipse etiam sanctus Vedastus, vice sancti Remigij, cum Mamerto & alijs episcopis, apud Viennam Galliæ conuēnit, vbi solennes litanix tri-duanæ ante Ascensionem Domini sunt institutæ. Consummatis autem laboribus, feliciter ad Dominum migravit, anno, iuxta Sigeberti calculum, quingentesimo septuagesimo. Cuius corpus post aliquot annos Autbertus episcopus, indignum iudicans tam celebrem caelestis Ierusalem ciuem

ciuem in terra recondi, Calendis Octobris leuauit: & nè obscurior esset ipsius gloria in ea ecclesia, ybi primatum tenebat memoria Dei genitricis, non sine Angelico iudicio, cum beato Audomaro, eum transtulit ad monasterium, quod beato Vedasto Atrebatu nouum construxit: quodque postmodum Theodoricus rex multum dotauit, qui inibi, cum Doda coniuge sua cubat. Estque iam dictum monasterium, sui patroni meritis inter monasteria Belgij valde opulentum. Verum propter has spinosas diuitias abbatiam compluribus annis occuparunt Francie reges, & Flandriae Comites, inter quos primus recensetur Carolus Caluus, imperator. Præter natalem repetitur aliquoties eius memoria, nam annuè sequètia leguntur.

Calendis Octobris, translatio corporis sancti Vedasti de loco sepulturæ eius in eum, in quo nunc requiescit. Transtulerunt autem eum beati confessores Autbertus & Audomarus. Idibus Iulij anno Dominicæ incarnationis octingentesimo nonagesimo tertio, relatio corporis sancti Vedasti à Beluaco ad proprium locum, post annos duodecim. Sexto Nonas Iulij inuentum est corpus sancti Vedasti à Theodorico episcopo, anno ab incarnatione Domini octingentesimo quinquagesimo secundo. Nono Calendas Martij, Nobiliaco, monasterio, dedicatio ecclesiæ sancti Vedasti, episcopi & confessoris, quæ per reuelationem angelicam beato Autberto est manifestata.

Est autem Atrebatum, olim Flandriae, à tempore autem sancti Ludouici regis, Artesia metropolis, duplex ciuitas: vna enim est episcopalis, vulgo *Cité* dicta, quæ caput habet sancti Vedasti, lauam quoque, quæ de cælo pluit, & cæreum memorabilem, de quibus mox quædam adiungemus: altera verò vulgo *Arras* dicitur, veteribus Nobiliacus nominaba-

minabatur; in qua est sancti Vedasti monasterium, cum sacro eius corpore. Cui loco ex Gandauensi monasterio venerabilis Atta primus præfuit. Porro Atrebatu in episcopatu post beatum Vedastum successit Dominicus, post quem Vedulphus, qui Cameracum sedem transtulit. Inde autem nomen diocesis Atrebatensis perijt vsque ad tempora Urbani secundi, qui anno millesimo nonagesimo Atrebatu peculiarem erexit episcopatum, Cameracensibus infensus quòd Henrico quarto Imperatori, hosti ecclesiæ Romanæ proscripto, fauerent.

a. *Ad Sigebertum est annotatum esse factam anno Domini 698. Ipse vero ponit annum 658. rectius. Nam anno 698. non superfuerunt sancti Auberus & Audomarus.*

## 2º. De festo reliquiarum Atrebatensis eccles.

*Ex informatione D. Nicolai Laingaingne, decani Atrebatensis.*

**H**abet dicta Atrebatensis ecclesia festum reliquiarum, celebre Dominica die secunda post Pascha, in qua Missæ introitus est, *Misericordia Domini plena est terra. Psal. 32.* Hoc festum clerus vocat reliquiarum, vulgus autem mannæ. Est enim festum non solum de reliquijs sacris, quas ecclesia habet, sed potissimum ob datam fertilitatem. Nam cum ditio ea foret planè arida, & veluti maledicta, anno quadringetesimo tertio summam accepit fertilitatem, quam hæctenus conseruat. Quia autem Deo hanc fertilitatem donante, apud Atrebatas vt scribit Paulus Orosius, *vera Ors. lib. 7.* lana de nubibus pluuia mixta defluebat, hinc in tanti beneficij memoriam lana illa (quæ vulgo manna dicitur) cum sacris reliquijs conseruatur, & annua fit gratiarum actio de adepta agrorum fertili-



Februa. 6.

N A T A L E S

Calist. 3.

fertilitate. Commonstratur etiam statuto tempore, nempe in maxima aëris terræque siccitate, ac sideratione, ad eliciendam implorandamque è superis pluuiam. Contulit autem Calistus pontifex indulgentias per festi octauas, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto. Est præterea in Sacello fori eiusdem vrbis memoratissimus cæreus, illuminatus anno millesimo nonagesimo quinto, qui quotidie vesperi sub laudibus incenditur, & valet contra sacrum ignem. Hic autem cum pompa defertur ad cathedralem ecclesiam die Dominica intra octauas Corporis Christi à confraternitate sacelli, quæ vulgò dicitur, de igne ardentium. Et Xystus quartus inuentionem cærei examinari curauit, atque per Sedis suæ Notarios describi.

a. *Et sanctus Hier. in Chron. anno Domini 371.*

3<sup>o</sup>. *De sancto Amando, episcopo Leodiësi, Apostolo Gandensiu, & aliorum populorū.*

*Ex historia quæ exstat sexto die Februarij, & ex officio Gandensi & Elnonensi.*

*Ex Martyrologio Elnonensi.*

*Ex officio potissimum Gandensi.*

**I**N Tabula, Elnone monasterio, depositio sancti AMANDI, Traiectensis episcopi & confessoris. Qui multorum miraculorum virtutibus pollens, inter alia fertur, quod reo cui ante mortem à seuo iudice non petuerat vitam impetrare, post mortem à pio iudice Deo, vitam impetrauit & salutem. Filius fuit Sereni Aquitanorum ducis, ex Amantia matrona cum primis nobili, sed spretis quæ mundi huius sunt, vitæ institutum elegit, in Ogio insula, quam etiam à serpente signo crucis liberauit. Cùm autem pater eum multis verbis à sancto instituto amouere laboraret, hanc illi tandem grauissimam sententiam retulit.

retulit. *Terrena non appeto, tantum mihi permitte Vc  
Christo militem.* Multos igitur annos in illa viuen-  
di ratione exercitatus, postea Turonis sacris ini-  
tiatus est: ac deinde Bituricæ cellulam ingressus,  
annis ibi quindecim corpusculum mira abstinencia  
maceravit. Tandem religionis amore tactus,  
Romam se contulit, diuorumque Petri & Pauli  
Apostolorum limina visitauit. Vbi à beato Petro  
nocte admonetur vt in Galliam protinus prædi-  
candi Euangelij causa remearet. Reuersum Gallia  
obuijs vlnis accepit, & vt verbum Domini genti-  
bus euangelizaret, coactus à rege Lothario & sa-  
cerdotibus, \* episcopus est ordinatus. Moriente  
deinde Ioanne Tungrorum episcopo, Dagoberto  
rege urgente, Tungrensem siue Traiectensem  
ecclesiam gubernandam suscepit. Quam functio-  
nem, cum summâ, vt decebat, authoritate admi-  
nistraret, vitiaque omnis status acriter reprehen-  
deret, ingens odium Dagoberti regis & clericorum  
in se concitauit. Miraculis adhuc viuus egregijs  
claruit. Sed cunctis penè miraculis est maius,  
quod vitæ sanctimonia, & prædicatione verbi  
Dei, infideles innumeros conuerterit, multosque  
habuerit sanctissimos discipulos. Ipsius admoni-  
tione Iduberga, relicta Pipini Ducis Brabantia,  
sibi & filia suæ Gertrudi, Christi que familia,  
cœnobium construxit Niuellanum, in quo v-  
tramque Deo sacrauit. Neque contentus fuit ter-  
minis suæ diœcesis, sed inibi ponens vicarium,  
sanctissimum Landoaldum archipresbyterum, a-  
lijs etiam gentibus Christum prædicauit: vt Scla-  
nis, circa Danubium: Vasconibus, circa Pyræneos  
falus: & in Flandria Gandensibus potissimum &  
Pabulensibus.

Gandenses à Mercurij, & aliorum idolorum cultu, auocauit. Ibi que duo celeberrima construxit monasteria, ad honorem diui Petri, Blandiniense, & Gandense, ipsique diuo Bauoni Habaniæ principi Deum syncerè colendi leges dedit. Truncinij ad Lisam fluuium, clericorum siue Canoniorum societatem instituit, quæ multis post annis in cœnobium instituti Præmonstratensis est conuersa.

Superioribus etiam aliunde quædam addi possunt. Nam inter occidentales Brabantos sæpius prædicasse memoratur potissimum in Comitatu Bruxellensi, vbi Alenam martyrem; & in Niuelensi, Gertrudem cum matre, discipulas habuit.

Argentineses etiam eum primum vocant suum episcopum, & peculiaria de eo videntur scripta habere. Nam in Catalogo testium veritatis, quem Guilielmus *Eysengrem* edidit, Vtho trigessimus bonus episcopus Argentoratum, qui obiit anno nonagesimo sexagesimo quinto, scribitur doctissimis libris complexus esse vitas sanctorum Arbogasti & Amandi.

Tandem Apostolica virtute, & spiritu plenus, apud Pabulenses in Elnonensi monasterio, quod hodie ab authore propriè dicitur sancti Amandi, mortem obiit, anno incarnati Verbi sexcentesimo sexagesimo primo. Cuius corpus etiam, in capillis & omnibus sui partibus, sic integrum & venustum post multos annos inuentum est, quasi non modo heri aut nudius tertius mortuus, verum etiam adhuc in viuis fuisset. Est autem ciuitas sancti Amandi, quæ ab eius monasterio nomen & incrementa accepit, quam Becanus Traiectensis historicus, Amandiacum vocat, in Tornacesio ad rinulum

Beca. anno  
1340.

riulum Elnonem, aut, vt Philippus de Eleemofyna, secundus abbas Bonæ-spei, tempore diui Bernardi scriptum reliquit: locus est inter Menapiorum fines positus, Propontijs, Neruijsque contetminus, qui sicut regni Germanici & Romani imperij est finis, sic Belgicæ Rhemensis portio, sic limes dignoscitur esse Francorum.

De secundarijs factis sunt ecclesiæ ipsius verba.

Duodecimo Calendas Octobris, Elnone, eleuatio corporis sancti Amandi, episcopi & confessoris. Cuius corpus post centum quinquaginta à transitu annos, integrum inuentum est, atq; de ore eius geminis ab inuentore dentibus ablaris, stillæ scribuntur fluxisse cruoris. Decimo Calendas Nouembris, Helnone restitutio corporis sancti Amandi, episcopi & confessoris. Septimo Calendas Nouembris, Traiecti, ordinatio sancti Amandi, & Elnone cœnobio, translatio corporis ipsius ab ecclesia sanctorum Petri & Pauli in Basilicam sancti Stephani protomartyris, agente beato Eligio Pontifice: atque dedicatio eiusdem Basilicæ. Sexto Calendas Nouembris, Commemoratio ordinationis beati Amandi, quæ licet die præcedenti, sicut & translatio corporis, & ecclesiæ dedicatio, facta fuisse credatur, tamen hac die specialius recolitur. Historiæ eius scriptores ad Vsuardum sunt notati.

*Facta est vs  
notat. 21-  
geb. anno  
812.*

a *Ad infidelium nimirum conuersionem, sine certa diœcesi. Confer vitam B. Remacii, 3. Septemb. §. 2. Item huius operis die 31. Octob. & alijs locis in Indice notatis. Vt Ianuar. 16, 2°. Martyr 25. Nouemb. 2.*

b *Placentius 645 p. o quo facit quod S. Lambertus (qui est post Remacium & Theodardum successit) legatur interfuisse eleuationi S. Vedasti qua rekte Sigeberto f. Etæ est 658.*

E

4°. Ap-

4<sup>o</sup>. *Appendix de beato Andrea abbate.**Ex monumentis abbatie Dni Amandi.*

**C**laruit etiam Elnone B. Andreas, primū abbas Berisiacensis in Cella Apostolorum, quæ nunc non subsistit: deinde Elnonensis abbas, discipulus sancti præsulis Amandi. Qui numeratur inter sanctos Elnonenses, etsi eius natalis non celebretur. Exstat de eo epitaphium.

Hunc tumulum quique non irreuerenter adit,  
Andræ sancti loculum quia claudit & artus.

Qui pius, & prudens, humilis fuit, & venerandi  
Discipulus patris, simul & successor Amandi.

Hunc pastor caulæ, præsentis conditor aulæ,

Hugo levans, lymphâque luens, thecâque recondens.

Mundato tumulo solenniter hic relocavit,

Febri fatiscentes ibi conualuere frequenter.

*a Immo ut accepi ex certa relatione religiosorum Amandensium adhuc ditissima est præpositura abbatia S. Amandi sita in diœcesi Laudunensi, non procul ab oppido dicto, La-fere. Gallicè autem dicta præpositura appellatur Barisy. G. Col.*

5<sup>o</sup>. *De sancta Relinde, virgine Eikensi.**Ex historia Eikensis vel Maeseikensis ecclesie.*

**E**odem die, depositio sanctæ RELINDIS virginis, abbatissæ Eikensis, Hæc sororem habuit sanctam Harlindem, cum qua ad duodecimum diem Octobris coniungetur. Pauca tamen hic ex Officio Ecclesiastico præmittam. Mortua sancta Harlinde, multo fortius statuit contra subdolum aspidem & basiliscum dimicare, cum se solam vidit, & sororis adiutorio in conflictu destitutam. In quo almo labore vsque ad decrepitam ætatem perdurans, ibat de virtute in virtutem. Post mortem autem ad sanctarum virginum sepul-

sepulcrum Eiluuiga visum recepit, & plurimi languidi atque ægroti plenam incolumitatem.

6<sup>o</sup>. *De sanctis Traiecten. ad Mosam episc.*

*Ex officio Traiectensi, & Radulpho de Riuo.*

**T**raiecti ad Mosam, commemoratio omnium Sanctorum Traiectensium episcoporum. Sed in Collecta diei septem tantum suis nominibus exprimuntur, quorum nempe reliquæ ibidem in septem capsis requiescunt. Sic enim habet Collecta. *Propitiare nobis, quaesumus Domine, famulis tuis, per sanctorum confessorum tuorum, Seruatij, Monulphi, Gondulphi, Marcini, Valentini, Candidi, & Amandi, & aliorum, qui in presenti ecclesia requiescunt, merita gloriosa, ut eorum pia intercessione, ab omnibus semper protegamur aduersis.* Radulphus autem de Riuo, Tungrensis Decanus, scribit Leodiensem ecclesiam habuisse triginta episcopos canonizatos, qui omnes resederunt Tungris, Traiecti, vel Leodij. *De Canon. & obseruan- tia. proposis. 17.*  
*a Corpus tamen S. Amandi est in oppido & monasterio S. Amandi.*

Septima die Februarij.

1<sup>o</sup>. *De sancto Chrysolio martyre.*

*Ex descripta historia.*

**C**ominij, natale sancti CHRYSOLII martyris, qui ad Flandros venit, à Marcello papa ad prædicandum missus. Patriam habuit Armeniam, sed amore cælestis patriæ cum Quintino, Crispino, Piato, & alijs, ab vrbe Roma Galias causa prædicationis expetijt, tempore Diocletiani. Ipseque sanctus Chrysolius Tornaco, & alijs Flandriæ locis Christi nomen attulit. Ob quod etiam in *Vrelenghem* coronæ & verticis amissione martyr occubuit, & post martyrium ad lo-

cum qui *Comines* dicitur, per duo ferè miliaria ambulauit. Quo in loco etiam num. quiescit ad Lisam in collegiata ecclesia, à beato Eligio eleuatus: locus enim est Tornacensis diœcesis.

Cur autem episcopus pingatur & honoretur, non ausim affirmare. Fieri potest quod derelicto episcopatu, huc uenerit: aut quod huc venturus titularis fuerit episcopus, aut denique cum Piato presbytero ut episcopus honoratur, quia cum eo fuit Apostolus Tornacensium. Neque mirari oportet, si priuatae ecclesiae de suis Apostolis, etsi presbyteris, officium canant Episcoporum, cum etiam Romana ecclesia de Euangelistis legat officium Apostolorum.

2<sup>o</sup>. *De S. Amoluino, episc. & abb. Lobijs.*

*Ex Chronicis, & alijs monumentis Lobij.*

**L**obijs, beati AMOLVINI, episcopi & confessoris. Fuit autem abbas & episcopus. Siquidem Lobium locus regius, regia munificentia exstructus, nulli committebatur, nisi primum esset ordinatus episcopus, sicut hoc competebat nouellæ fidei rudimentis. Quæ dignitas perdurauit in aliquot sancti Ursuari successores. Vnde in dicta abbatali dignitate, nonnullæ supersunt reliquiae. Natalem habet Lobijs, ubi resedit, & quieuit: item Binchij, quo translatus est.

Die octaua Februarij.

*De S. Maingoldo, mart. & Duce Huiësi.*

*Ex officio Cleri Huiensis.*

**I**N Hoyo, sancti MAINGOLDI, Ducis & martyris, Hugonis regis Anglorum filij. Hic dux de nobili prosapia Francorum & Anglorum duxit

duxit originem. Patrem enim habuit Higonem regem Anglorum, sororium Osualdum martyrem, regem Nord-hamborum, auunculum vero Arnulphum Imperatorem, à quo in uxorem accepit, adaucta dote, Ge lam, viduam interfecti Wilhelmi, Comitis Hannoniensis. Cæterum nobilitati insigniorem adiecit titulum, dignum pœnitentiæ fructum. Cùm enim aliquamdiu contra Albricū ducem, Wilhelmi interfectorem, eiusque typho adherentes, vxoris suæ bona partim iure, partim vim vi repellendo, defenderet, interfecit fuorum suorum incendiarium, & prædonem, Balduinum ducem, qui corrupto nomine appellatur Beuinus. Sed in patris necem vindices surrexerunt quatuor liberi. Vnde cùm dissidiorum & malorum fomenta crescerent, sanctus Meingoldus militiæ abrenunciavit: seque per compunctionem mundauit, & Deo mactauit. Integro enim septennio pœnitentiam egit de homicidijs, cæterisque peccatis. Postmodum recessit ad oratorium sanctorum martyrum Timothei & Symphoriani, quod situm est ad confluentiam Hoij & Mosæ. Is enim locus, cum appendicibus, ei donatus erat ab Imperatore. Eodemque in loco, cùm post sæpius postulatam concordiam, nondum extincta esset antiqua ira, dum ad templum iret, ab Inghelfredi consanguineis mactatus est. Sed à Deo multis miraculis post necem celebratus, & à clero ac plebe inter Dei martyres honoratus est. Natalem celebrant Canonici Hoyenses die octaua Februarij. Translatio cum sancti Domitiani translatione concurret die decima quinta Iunij, sed ob concursum sequenti die recolitur. Habet ergo Hoyenses ci-



ues, beata præunte Maria, duos patronos, Domitianum & Mengoldum, quorum præsentia eis erit in damnationem, si eos non imitentur per bonæ vitæ executionem.

### Nona die Februarij.

*De sancto Ansberto, epif. Rothomagensi.*

*Ex Angrado, Chronicis Flandria, & Fontanella, & ex Martyrologio Blandinij.*

**I**N territorio Rothomagensi, monasterio Fontanella, natalis sancti ANSBERTI. archiepiscopi, & confessoris.

Qui ex regimine Fontanellæ, assumptus est post sanctum Audoënum, in episcopum Rothomagensem, sub quo dicta ecclesia floruit, sicut monasterium ante floruerat. Creuit gratijs, decreuit metallis. Delatus verò apud Pipinum principem, humiliter subiit exsilij ærumnam in Altomonte, Hannoniæ monasterio. Vbi etiam mortis quiete dormiens, transijt ex hoc sæculo. Post mortem petijt referri Fontanellam, vbi dudum, regulari ordine Domino militauerat. Vnde Halidulphus, abbas Alti-montis, summo honore corpus eo detulit, linteis ceratis obuolutum, & sic vestitum, sicut sanctis altaribus assistere consueuerat. Quod factum est anno sexcentesimo nonagesimo quinto. Historiam vitæ grauitè sub idem tempus conscripsit Angradus monachus, ad Hilbertum, quartum abbatem Fontanellæ, hoc est, ad proximum sancti Ansberti successorem. Quæ apud dominum Surium extat ad hunc diem. Corpus eius cum corporibus sanctorum Wandregisili & Vul-

& Vulframni, ex Bononia, siue Bolonia, maritima vrbe, quo deuectum erat ob persecutionem Nordmannicam, translatum est Gandauum, ad Blandiniense cœnobium, anno nongentesimo quadragesimo quarto. Vnde eo loci memoria eius frequentatur. Nam præter natalem annuè leguntur sequentias Secundo Calendas Aprilis, eleuatio & translatio sanctorum Vuandregisili abbatis, & Ansberti, atque Vulframni archipræsulum. Tertio Nonas Septembris, in monte Blandinio, Gandau territorij, aduentus sanctorum corporum Vuandregisili abbatis, Ansberti, & Vulframni archipræsulum. Decimo octauo Calendas Octobris, translatio corporis sancti Ansberti, Rotmagensis ecclesiæ archiepiscopi. Cæterum dum sancti viri corpus, multis miraculis Fontanellæ clareret, Pipinus (quod Gesta Fontanellensium abbatum attestantur) in peccati sui expiationem Floriacum monasterium in pago Velio-

*In capite de  
Baino, Ger-  
stans.*

cassino construxit, ipsumque Fontanellensi cœnobio tradidit

### Decima die Februarij.

1<sup>o</sup>. *Natalis S. Austrebertæ, virginis Teruânensis.*

*Ex historia conscripta ab eius ferè aquali.*

**I**N pago Rothomagensi, Pauliaco monasterio, sanctæ AVSTREBERTÆ virginis. Hæc virgo Teruânensi territorio exorta, cum eam parentes carnali marito tradere vellent, fugit per flumen, quod Quantia dicitur, ad episcopum

Februa. 10.

NATALES

suum Audomarum, magni apud Deum meriti, sacro velamine consecranda.

In fuga, ponte per inundationem submerso, cum comitibus illaesa super aquas ambulavit. Audomarus autem eam consecratam ad parentum aedes rediit, delinquit eorum animis. Postea relictis parentum aedibus, petiit in monasterio aliquo sanctis sociari sororibus, & sub potestate alterius vivere. Unde a parentibus est perducta ad monasterium Sommona adiacens, quod Porcus dicitur. Inde autem fama sanctitatis eius, pervenit ad Philibertum Gemeticensem abbatem. Qui voluit ut in Pauliaco monasterio a se constructo Dei famulas regeret. Quo in loco reliquum vitae sanctissime exegit. Quam apud Surium perpenam aequali conscriptam habemus.

Die 10. Februarij.

2<sup>o</sup>. *Commemoratio sanctae Soteris.*

*Ex informatione quam Dordraci accepi.*

**D**ordraci, cor memoratio sanctae Surae, virginis & martyris. Haec vrbs est in dioecesi Traiectensi, metropolis civitatum Hollandiae, in qua sancta virgo honestissimis parentibus orta, maioris ecclesiae fundatrix celebratur. Fertur enim singulari affectu venerata esse imaginem Deiparae virginis ad arborem super riuum *Dordrecht* pendentem; & quicquid lucubratur, id pauperibus erogasse. Cum autem optaret ecclesiam aedificare, ab Angelo didicit magnitudinem; & tribus operarijs totidem denarijs diebus *copkens*, parvae quantitatis, sed magni valoris, sat fecit. Ex quo, quod pecuniosa putaretur, vitae praesentis usuram per latrones amisit, eo in loco ubi hodie a-

die a-

die amœnissimus fons, febricitantibus medicina,  
emanat. Cuius etiam Guilhelmus Lindanus, Ru-  
ranondeasis artifex, in Apologetico ad Germa-  
nos, meminit. Capti ad iudicis prætorium ducti  
sunt, sed martyr cum cicatrice recenti in collo ap-  
parens, (erat enim guttur cultello transfossus)  
penitentibus veniam impetrauit. Visa est a me  
imaginetur in via publica, & in altaribus duobus  
Collegiatae ecclesiæ, habere iugulum cruenta-  
tum, & in manu cultellum piscarium, quantum  
recordor. Ecclesia iam dicta, Soterem eam no-  
minat, & per Collectam memoriam eius celebrat  
in die sanctæ Scholasticæ virginis. Sed ignoro a  
quo tempore, & cuius sedis auctoritate, hæc com-  
memoratio & applicatio Collectæ de sancta So-  
tere, virgine<sup>2</sup> Orientis, in beatam Soterem Dor-  
dracensem fiat: quam sic transnominatam opinor  
ob salutem præstitam miraculis.

a *Catus meminit S. Ambros. lib. 3. De virgin. Vide  
Baron, ad martyrol. hac die.*

### Decima septima Februarij.

#### De sancto Siluino episcopo.

*Ex monumentis ad D. Bertinum, & aliunde.*

**A**lciano monasterio, in pago Teruänensi, *Videatur  
Meijerus in  
Annal.  
Flandria  
an. 716.*  
sancti SILVINI, episcopi Tolosanae ciui-  
tatis, & confessoris. Qui in Morinis miranda eni-  
tuit religione, abstinentia, & spirituum immun-  
dorum eiectione; apud quos etiam obiit. Ut non  
sit mirum eum ab Vluardo, & alijs quibusdam,  
nominari episcopum Teruänensem. Claruit au-  
tem vsque ad Vinciacum Caroli & Ragenfredi  
bellam,

Februa. 19.

NATALES

*Chronicon  
Bertinense  
cap. 26.*

*Epist. 350.*

bellum, potissimum in Alciaco, vbi abbatia est, eius nomen habens, fuitque in ea sepultus à monasterio Centulensi. Sed corpus per modum vadij, sub comite & abbate Arnulpho magno, delatum est ad sancti Bertini conuentum. Cumque præscriptum redimendi tempus paululum, diuinâ, vti putatur, dispositione elapsum esset, inuitis Alciacensibus ibidem remansit. Estque penes Bertinenses, donec ibidem obseruantia viguerit regularis, prærogatiua honoris dandi ex suo monasterio Alciacensibus abbatem, iuxta rescriptum Innocentij tertij, quod est in fine quinti Decretalium. Meminit etiam Bernardus abbas & ecclesiæ de Alchi, ei desertam & incultam terram in eleemosynam concedi petens.

### Dei decima-nona Februarij.

*Obitus beati Bonifacii, epis. Lausanensis.*

*Ex manu-scriptis historijs Bonifacii & Aleidis, & narratione reuerendæ dominae abbatisse,*

*D. Barbara Tas.*

**I**N Camera beatæ Mariæ, obitus beati Bonifacii, episcopi Lausanensis, magistri in Theologia Parisiensis: qui Bruxellæ natus, in dicto ordinis Cisterciensis monasterio, iuxta idem oppidum, quieuit. Cum enim per decem annos episcopatum rexisset, & vir mundus ac immaculatus à carnalibus vitijs, contra sacerdotes focaristas acrem sermonem habuisset, ferè ab eis est occisus. Vnde à Pontifice petijt dimissionem, nec senex alium episcopatum acceptare voluit.

In huius anniuersario depositionis die, tumba eius ornatur tapetibus, floribus, & luminariibus, quæ vocantur *stal-lichten*: officium autem de-  
functo-

functorum non pro eo fit, quia inter beatos numeratur, sed pro amicis. Calice ipsius sacro semel tantum vtuntur annuè, in sacro huius diei. Distribuantur etiam Dominica die, Latate, magni panes, propter multa beneficia quæ monasterio prestitit. & vocantur panes S. Bonifacij.

Ibidem in festo sancti Barnabæ, obitus Aleidis de Scarenbeca, sanctimonialis, leprosæ, anno iubilæo, millesimo, ducentesimo, quinquagesimo. Cuius virtutes & merita, visitationes & miracula, ad plenum nequeunt explicari.

### Die vigesima Februarij

#### 1<sup>o</sup>. De sancto Eleutherio, episcopo & patrono Tornacensium.

*Ex monumentis Tornacensis Ecclesie, quæ communicauit Doctor Theologus Henricus de Corbry, ibidem Canonicus.*

**B**landinij natalis sancti **ELEUTHERII**, episcopi & confessoris. Cuius honorifica est apud Fortunatum mentio. Hic natus est Tornaci ex Christianis parentibus, Sereno & Blanda, qui propter nomen Domini inde exulare iussi, ad vicinum Blandinium commigrarunt: vbi ædificarunt ecclesiam in honorem D. Petri. Mortuo autem Theodoro episcopo, Eleutherius fidelium electione successit, & Blandinij resedit annis nouem, Tornaci verò annis triginta sex. Ter fuit flagellatus, & à paganis Tornaco expulsus. Cùm autem magno labore tribunum Scandiensem conterrisset, cessauit persecutio, & Tornaci in tantum est fides propagata, vt inibi profiteantur.

*Vita Medardi c. 2. § 18.*

*In breuiario Tornacensi.*

Miro

Februa. 20.

NATALES.

Miro modo sunt conuersi,

Per hunc ciues vniuersi.

*Sigebertus  
anno quin-  
centesimo  
vigesimo  
sexto.*

Propter fidei negocia bis memoratur Romanus profectus esse, anno sui pontificatus decimo quarto, & rursus vigesimo sexto, quando secum contulit reliquias protomartyris Stephani, & Marię Ægyptiacę. Synodum habuit Tornaci contra Acephalos hæreticos, quinquennio ante mortem. Quos etiam, quo ad potuit, è ciuitate eiecit. Accepit autem septuagenarius ab eis, dum ecclesiam beatę Marię Tornacensem egredere- tur, remunerationis loco, grauissimum vulnus in capite: vnde per quinque septimanas decubuit, fidem confitens, & pro inimicis orans. Tandem autem debitum mortalitatis exsoluit, præmunitus religionis Christianę sacramentis, & à Medardo episcopo Nouiomensi sepultus est Blā- dinij. Cæterum primam eius translationem fecit Heidilo, episcopus Nouiomensis, qui anno octingentesimo octuagesimo primo corpus san- ctum eleuauit, propter reuelationem Teclę fa- ctam, in qua eleuatione plurima edebantur mi- racula, quę conscripta exstant. Secundam; non minus miraculis celebrem, fecit Balduinus epi- scopus, qui anno sexagesimo quarto vltra mille- simum, reliquias taanstulit Tornacum, ad eccle- siam beatę Marię. Post quam translationem, sta- tim cœperunt clerici sanctę Marię, (hoc enim titulo nuncupari solent Canonici Tornacenses) & cum eis Rex Franciæ, sollicitare apud Aposto- licam Sedem, restitutionem episcopatus. Si- quidem mortuo sancto Eleutherio Tornacenses eligebant & vrgebant Medardum Nouiomensem episcopum, vt eorum etiam diœcesim regeret. Quo

Quo mortuo, Noniomenses non permiserunt Tornacensibus, sui episcopi electionem, cum magno ecclesiæ illius præiudicio. Tandem tamen ab Eugenio tertio, intercessione potissimum beati Bernardi, proprius eis obtigit episcopus, Anselmus, abbas quidem Laudunensis, sed regulam professus Sueffione ad sanctum Medardum. Unde à Medardi discipulo reddita est Tornacensibus Sedes episcopalis, quæ à temporibus Medardi caruerant. Sunt autem beatissimi Eleutherij sacra pignora, aliquoties in pretiosius feretrum translata, & in hunc usque diem diligentissimè custodita. Cuius festa in Tornacensi Breuiario, notantur: natalis, decimo Calendas Martij: duplex eleuatio, septimo Idus, Iulij, trium lectionum: & translatio, octauo Calendas Septembris, triplex. Verùm libros omnes, Guesiorum horrenda in eam ecclesiam sæuities deuastauit. Ideoque venerandus clerus pro Horis proprijs acceptauit Romanas, ex auctoritate Concilij Tridentini tunc recenter editas.

Est autem Eleutherius Græcè, Latine liberator, quo *Lib. 9. geographia.* sensu apud Strabonem legitur, eleutherio, id est, liberato-  
ri, Ioui, templum constructum esse. Sed is titulus vt falsò datus fuit Ioui, ita nostro Eleutherio tanto veriùs competit, quanto plures conuertit.

a Fuisse Neruus episcopus multo antè, liquet ex Concilio Agrippinensi in princ. quod fuit anno Domini 346.

## 2º De S. Eucherio, episc. Aurelianorum.

*Ex Surio & Moringo.*

**I**N Sarchinio, monasterio sancti Trudonis, de-  
positio sancti EUCHERII, qui Aurelianen-  
sium *Ex Martyrologio Trudonensi.*



Februa. 20.

STONIA T A L O R S

sum episcopus, à Carolo Martello in exilium est  
relegatus: quod tamen ipsum pro iustitia fuisse  
perpessum, crebra miracula, quæ per eius sacra  
merita diuina fieri concedit clementia, sunt in  
dicio.

Ex Gemetico enim monasterio assumptus in e-  
piscopum Aurelianensem, Carolum Martellum  
libere reprehendit de conuersis in stipendium  
militare ecclesiæ decimis: eundem etiam valida  
manu, quam in Saracenos, ducebat, Aureliam  
intrare volentem, metu nè quid ciuibus suis in-  
iuriæ ex militari licentia obueneret, vrbe exclusit.  
Vnde cum omnibus propinquis, Coloniam exu-  
latum mittitur. Vbi cum vitæ commendatione  
fauorem clericorum consequeretur, metuît Mar-  
tellus querelas apud Romanum Pontificem;  
ideoque relegauit eum in Hasbaniam: quo in  
loco Roberti Duci tradidit custodiendum, qui  
perspecta singulari innocentia, & morum excel-  
lenti probitate, omni eum officio & honore co-  
lendum duxit. Sed vir sanctus nihil aliud petiit,  
quàm in cœnobio sancti Trudonis Deo vacare.  
In quo ad caelestem patriam migravit, anno Do-  
mini septingentesimo vigesimo septimo, exsiliij sui  
sexto, multa sanctitate & miraculis gloriosus.  
Historiam habent Laurentius Surius ad hunc  
diem, & Gerardus Moringus, Theologus, mona-  
sterij Trudonensis professor. In translationem,  
quæ facta est die vndecima Augusti, exstat sermo  
Theodorici abbatis.

Moringus  
Louanij,  
1540. in 4.

Theod. 10.  
vno 6. Suriij.

Addit.

Cum hac narratione confer. notat. Gregor. ad c.  
Quia iuxta. 16. q. 1. Et in contrarium Vide Baron.  
tom. 9. anno Christi 741.

Die

## Die vigesima-prima Februarij.

## De sancto Pipino, primo Brabantia Duce.

Ex historia Pipini, &amp; aliunde.

**N**iuigellæ, memoria obitus sancti Pipini. Qui primus memoratur in inferiori Austrasia Dux Brabantia, pater sanctarum Gertrudis & Begghæ, maior regis domus in Austrasia sub Dagoberto. Qua dignitate, parum à dominatione ac sublimitate regia differente, præditus, præstabat tam in bellis fortitudine, quam iustitiâ in pace. Erat enim erga regem fidei seruantissimus, & erga populum tenacissimus æquiritatis, & in disceptanda vitorumque causa firmissimo animi iudicio persistens, nec munera populi, nec gratiam regis, ad obruendam populi iustitiam, attendebat. Beatum Arnulphum Metensium pontificem, quem in timore at dilectione Dei nouerat excellentem, omnium consiliorum & negotiorum suorum socium assumebat. Defuncto quoque prædicto viro Dei, sanctum Cunibertum, antistitem Coloniensem, pari sanctitatis fama illustrem, curabat in hac negotiorum administratione participem habere. Obijt circa annum sexcentessimum quadragesimum septimum, Landis, nunc oppidulo, tunc verò palatio Brabantia: sed translatus quiescit Niuellæ in capsâ, iuxta altare sanctæ Gertrudis. quæ capsâ etiam in Litaniarum diebus circumfertur, licet non sit inscriptus in sanctorum numerum. Præclarum de hoc beato viro encomium apud maiores nostros exstitit, quod Stephanus Leodiensis abbas ante quingentos annos, historia sancti Modoaldi inseruit.

Hunc itaque quidam haud ineptè Brabantia patriarcham nuncupant: siquidè sub eo, & per eum, religio Christiana apud Brabantos, & circum circa, multum accreuit. Eius enim progenies non solum in pietate præluxit; sed passim quoque fouit fidei prædicatores: quorum multi ex Scotia, & Hybernia erant euocati. Ego sanè non tantùm patriarcham Brabantia, sed enim, & eius aliquot successores, Christianissimos Europæ patres & principes appellare non dubito, Fuerunt ipsi primùm Maiores regni Franciæ,

De Pipino  
agit Aimoinus  
lib. 4.  
de gestis  
Francorum  
cap. 19. 20.  
& 38.

Libro 1.  
cap. 2. die  
12. Maij, &  
est in lib. de  
fac. mil.  
Duc. Bra.  
6. 6.

Februa. 21.

MINIAT ALESORAS

Pipinus  
Herstallus.

Franciæ, & Marchiones limitis Antwerpiani, contra Da-  
nos & reliquos Aquilonares: deinde Apostolica autori-  
tate Reges Franciæ, & Imperatores Romani imperij. Cla-  
rissimas etiam victorias habuerunt contra fidei & Romanæ  
ecclesiæ hostes. Pipinus primus contra Sclauos, idolorum  
cultores, Christianis vnicum fuit propugnaculum. Pipinus  
secundus subingauit Frisones, & eorum regem Raibo-  
dū, Christiano nomini infensissimos. Quibus etiam Vuilli-  
broidum & alios misit, Euangelij prædicatores præstantis-  
simos. Carolus Martellus bellicosissimus & victoriosissi-  
mus princeps, qui regibus maluit imperare, quam rex esse,  
ex nulla victoria maiorem laudem est consecutus, quam ex  
eā quam contra Saracenos, habuit, dum iam tota Gallia  
posituri viderentur. Tanto enim triumpho eos deluit, vt  
post hominum memoriam nullus omnino regum, patrum  
hostium numerum vno prælio fuderit, & occasione dele-  
uerit. Filius eius Pipinus rex multos clarè diuicet, sed præ-  
cæteris Longobardos, Romanæ ecclesiæ oppressores. Cu-  
ius successori Carolo magno, etiam imperialis dignitas ac-  
cessit, dum nihil antiquius habuit, quam Romanæ sedis di-  
gnitatem & fidem Catholicam tueri. Victis autem præci-  
pue imperabat, vt Christianæ fidei legem susciperent.

In libro obituum notat Niuellensis ecclesia, præter obi-  
tum etiam vigilias dispettas sancti Pipini. Sed quid por eas,  
quas solæ Canonice celebrant, significetur, examinent  
studiosi. Neque enim quicquam desuper Niuellensis cle-  
rus definitum habet.

Die vigesima-quarta Februarij.

De beato Simone Alnensi.

Cap. 33.

Ex Casarij dialogo tertio, & informatione domini  
Sebastiani Antonij, Pralati Alnensis.

**A**Lnæ, obitus beati Simonis conuersi.  
Qui parente nobili genitus, à cognatione sua e-  
gressus, anno decimo-sexto factus est Alnæ con-  
uersus, & opilio. Claruit multis reuelationibus, & miracu-  
lis, tempore Conradi Cardinalis, antea abbatis Villarien-  
sis, &

sis, & Innocentij tertij, à quo etiam fertur ad Concilium Lateranense, anno millesimo ducentesimo decimo quinto vocatus. Corpus eius cum corporibus duorum monachorum (quorum vnus fuit nouitius, alter Vuerricus Prior) repositum est in altari ad ingressum ecclesie: & in Ordinario annotatur Vuerricum obiisse anno ducentesimo nono, quarto idus Maij: ossa autem eius extracta esse quarto Nonas Maij, anno ducentesimo vigesimo primo.

Est autem Alna apud Tudinium celebris abbatia ordinis Cisterciensis. De qua legitur in chronicis Leodiensium, in Hentici episcopi palatio Bernardum, dum crucem predicaret, tria fecisse miracula. Quibus compunctus præsul Alnensem Canonicorum ecclesiam in abbatiam commutauit, cuius primus abbas dictus est Gerardus

*Leod. c. 63.*

Cæsarius verò, qui in Villario Brabantie, haud procul ab Alna tempore Simonis prior claruit, scribit Bernardo Leodij crucem predicante canonicum maioris ecclesie crucem ordinis in Clafualle suscepisse, cum conterraneo Vualtero. Vnde postea Alnam missus est, ad monasterium fratrum regularium, qui se ad Cistercij, ordinem transtulerunt. Vbi non multò post Prior est factus.

*Cæsa, did-  
logor.*

## Vigesima quinta Februarij.

### *De sancta Aldetrudè abbatissa.*

*Ex eius, & Aldegundis historijs.*

**M** Alodio monasterio natalis sanctæ AL-  
DETRVDIS virginis. Quæ puella bonæ  
indolis materteræ suæ Aldegundis mores & vi-  
tam satagebat imitari. Quæ cum multis floreret  
virtutibus, humilitati præcipuè & obedientiæ  
dedita erat. Huic aliquando beata virgo Alde-  
gundis præceperat vt fragmenta ceræ eoacerua-  
ret in vnum, sollicita nè vel minima ferum mo-  
nasterij deperirent. Illa dicto citius paruit, disper-  
sa ceræ fragmenta collegit, ignem accendit, vas

*Huchaldus  
vita Alde-  
gundis cap.  
8.*

F

aneum

æneum cæra plenum superimponit, sed cum strues lignorum combusta decideret, & sartago feruens in alteram partem inclinaret, virguncula fide armata, de medio flammaram luterem bullientem manibus nudis sine vlla læsione in pavementum deposuit. Tantum apud Deum & meritum iubentis & virtus obedientis promeruit. Successit autem materteræ in regimine Malbodij per annos duodecim: post quam germana soror Madelberta per annos nouem.

### Prima die MARTII.

*De sancto Switberto, coëpiscopo sancti Willibrordi, & Apostolo Teisterbandiæ.*

*Ex sanctis vitæ eius scriptoribus Marcellino & Ludgero: & in eos obseruationibus Ioannis Nordwijck Goudani, Canonici Ultraiectensis.*

**I**N oppido imperiali, quod Vuerda dicitur, natalis sancti SWITBERTI, episcopi & confessoris. Qui temporibus Pipini, vnâ cum sancto Willibrordo, verbum salutis gentibus prædicauit. Hic inter cætera genera, morbum quem Physici anginam nominant, solitus est curare. Secundus nominatur inter Apostolicos illos viros qui ex Anglia venerunt fidem prædicatum Frisijs, Hollandis & vicinis. Inter quos adhuc presbyter existens, multos conuertit, potissimum incolas grandis vici *Duerstadt*, qui nunc est oppidum *Wije*, & ciuitatis *Hagenstein*, quæ nunc est pagus, *Vianæ* contiguus. Cumque per eum & Willibrordum numerus credentium quotidie augeretur, ex petitione fratrum in *Traiecto* & *Frisia*, vterque consensit,